



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CVII. Christus de cruce deponitur, & in horto in monumento novo, in petra exciso, sepelitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CVII.

Christus de cruce deponitur, & in horto,
in monumento novo in petra exciso, se-
pelitur.

*Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant,
deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monimen-
to. Actor. 13. 29.*

I.

DAVID, cum in Hebron Rex super tribum Juda inunctus esset,
& intellexisset, quod viri Jabes Galaad Saulem & Jonatham
filium ejus in bello occisos, & super murum suspensos, sepe-
lissent, ad eos nuntios ablegavit, qui eis ob hanc misericor-
diam defunctis exhibitam sub nomine suo debitas referrent
gratias: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino* ^{2. Reg. 2. 5.}
vestro Saul, & sepelivistis eum, & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericor-
diam & veritatem: Sed & ego reddam gratiam, eò quod fecistis verbum istud.
O viri gloriosissimi, Joseph ab Arimathæa, vir Nobilis, Senator, di-
ves & justus, & tu Nicodeme princeps Phariseorum, vobis obstricta
est universa mortalitas humana, quia fecistis misericordiam hanc cum
Domino Vestro Christo JESU, & deposuistis eum de ligno, & sepe-
livistis eum, & nunc retribuit vobis quidem Dominus in cælo miseri-
cordiam: Sed & nos Christiani omnes reddimus vobis gratiam, eò
quod fecistis verbum istud, o gloriosissimi viri! vos orbi universo
demonstrastis, quantum æstimandus & amandus sit Christus JESUS &
hic crucifixus.

2. Qualiter autem emortuum & excarnificatum corpus Domini
de ligno crucis fuerit depositum, S. Bonaventura in Meditationibus
vitæ Christi c. 81. & ipsa Beatissima Virgo ac Mater dolorosissima di-
lucidè explicarunt: *Hi duo, inquit, Nicodemus & Joseph, qui Filium meum* ^{Revel. S. Birg}
deponebant de cruce, tres applicabant scalas, una portendebatur ad pedes, secunda ^{lib. 2. c. 2.}
Ginther Unus pro omnibus, E e e sub.

subtus ascillas & ad brachia, tertia ad medietatem corporis, primus ascendit, & tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam, excussit primum unum clavum de uno brachio, deinde applicatâ scalâ excussit clavum alterius manus: Qui quidem clavus longè ultrâ stipitem crucis portendebatur. Descendens igitur illo, qui sustentabat onus corporis paulatim, & modicè prout poterat, ille alius ascendit scalam, quâ tendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus, Cùmque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò, quæ Mater eram, tenui eum per medium, & sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, quæ linteo mundo per me operata erat, in quo obvolvimus corpus; sed non consui lintheum, sciebam enim pro certo, quòd non pertresceret in tumulto.

Jo. 19. 41.

Voluit autem Christus Dominus sepeliri in horto: Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat; ibi ergo possuerunt Jesum. Et cur in horto? Observa: In horto prævaricatus est Adam, & genus humanum per peccatum perdidit, in horto Adam Secundus, Christus Dominus passionem inchoavit, & finivit, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.

Jo. 12. 32.

3. Prædixerat Christus in vita: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Exaltatus est in cruce, & in ea mortuus, ubi traxit Patrem, qui venit, ut in manus tuas dilectissimi Filii sui spiritum reciperet. Traxit Angelos, qui sicut in nativitate Christi læti canebant:

Ma. 13. 7.

Gloria in excelsis Deo, ita in ejus morte ac funere amarè flebant. Traxit cælum, quod lugubri velo cum Sole & luna ac cæteris astris obnubilatum est. Traxit inferos, quia multi post ejus obitum resurgebant. Traxit Justos, & inter hos quàm maximè Josephum ab Arimathæa, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & Nicodemum discipulum ejus occultum, qui nunc excusâ omni formidine, & contemptu humano respectu audaciores facti, ad eximium hoc charitatis officium advolarunt, & Jesum de cruce non dubitarunt deponere, atque è brachiis crucis ad Virginis ac Matris dolorisissimæ brachia transferre: Acceperunt corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judais sepelire. Ecce qui in nativitate sua non habuit diverforium, in morte non habuit proprium sepulchrum. Pauper ubique ditissimus JESUS.

Jo. 19. 40.

4. Universam mundi fabricam incepit DEUS die Dominico, & complevit eam feriâ sextâ, die autem septimo quievit: Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit de septimo ab universo opere quod patrarat. Christus Salvator mundi die Dominico in recreatione mundi civitatem Jerusalem passurus ingressus est. Secundo & tertio die mitissimus Agnus juges pertulit insidias. Quarto à perfido disci-

Gen. 2. 2.

disci-

discipulo venditus est. Quinto hæreditatem corporis & sanguinis sui instituit & nobis delegavit. Sexto in cruce moriendo opus nostræ redemptionis complevit. Septimo in sepulchro requievit; ita S. Bernhardus: *Sic & Christus in cruce sexta die opera sua recreationis perfecit, & requievit Sabbatho in sepulchro.* En lectulum Salomonis, per quem S. Droggo sepulchrum Christi intelligit, de quo jam pridem vaticinatus est Isaias: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Verè gloriosum licet in media barbaricæ situm, ad quod destruendum Judæi Turcarum Tyranno sub annum 1600. summam 500. Millium aureorum obtulerunt, quod tamen adhuc integrum in viva petra excisum in solatium omnium Christianorum perseverat, & usque ad finem mundi perseverabit, quia Dominus est custos illius.

5. De Tabitha, seu Dorcade matrona honestissima & pauperum patrona narrat S. Lucas, quodd, cum piissimè in Domino obiisset, corpus illius exanime honestæ scemine sollicitè curaverint: *Quam cum lavissent, possuerunt eam in canaculo &c.* Simile officium, prout tunc moris erat, Christo defuncto, ac de cruce deposito non defuit, quem dolorosissima Mater in gremio suo repositum amarissimis deploravit, ac lavit lacrymis, Josephus verò & Nicodemus juxta mentem S. Chrysostomi & Epiphaniæ non tantum abluebant, sed & concretos Sanguinis grumos ex ablutione collectos sibi pro thesauro reservarunt, & exinde aromata & unguenta applicabant, ac munda sindone, fasciisque ligatum sepulchro inferebant. Expende in hoc factò magnam illam venerationem, quâ bini illi discipuli exanime corpus Jesu tractarunt, dum illud ungebant, ligabant involvebant, ac propriis humeris retro impositum, ad sepulchrum novum, quod Joseph in horto propinquo ex petra exciderat, deportarunt, quos secuti, & comitati sunt Angeli innumeri, de cœlo à Patre æterno ad honorandum illud sacratissimum funus demissi, & dolorosissima Virgo cum Joanne ac mulieribus, Christo crucifixo fideliter assistentibus. Disce quo sensu tu inungere debeas sanctissimum Christi corpus, cum illud in SS. Eucharistia accipis, quoties enim illud sumis, sepelis de novo in corde tuo Christum Jesum & hunc crucifixum, ò utinam semper bene!

6. Moyses servus Dei cum ascendisset montem Nebo, & ibidem considerasset de longè Chananæam, terram illam desiderabilem ac populo electo promissam, jubente Domino mortuus est. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* Et quare sepulchrum Moysis tantoperè occultatum, & e contra sepulchrum Christi crucifixi omnibus manifestatum? Respondetur: Ne Hebræi corpus ejus, utpote duois ac legislatoris sui, velut Numen colerent, quia adhuc mortuus


splendorem ac decorem, quem antea habuit, conservavit; erant enim tunc Judæi ad idololatriam valde proclives, ideò à S. Michaelè, licet ringente diabolo, occultè sepultus est.

Hebr. 1. 6.

Christus DEus & Homo, ubi pro homine mortuus est in cruce, publicum in horto sibi elegit sepulchrum, quia non erat hic periculum alicujus idolomania, idcirco Angelis dictum est: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quid nos facimus, qui illius sanguine redempti sumus? Honorat Sacrum illud sepulchrum ipse DEus, quod per tot secula in tot bellis & everfionibus civitatis Hierosolymæ tam mirandum in modum conservavit illafum. Honorat illud univerfa Ecclesia Catholica, quæ singulis annis ad memoriam & repræsentationem hujus Sancti Sepulchri in templis Mausolæa solet erigere, ut Christiani in illo luctuoso triduo mortis Domini suam possint exferere devotionem ac pietatem: *Sepulchrum Christi*, ait S. Bernhardus, *inter loca devotionis tenet principatum.* Imitemur proinde Majores nostros, qui sepulchris benefactorum suorum figuram cordis solebant insculpere;

S. Bernh. ser.
ad Milites
templi. c. II.

hoc & nos faciamus, assiduâ & gratâ memoriâ in corde recollentes Christum JESUM & hunc crucifixum, mortuum ac sepultum.



CONSIDERATIO CVIII.

Cur Christus per viros Nobiles, Josephum ab Arimathæa, & Nicodemum principem de cruce deponi, ac sepeliri voluerit?

Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU.
Marc. 15. 43.

I.
Ubi viator ille Jeruchuntinus à latronibus despoliatus, multisque horrendis vulneribus faucius in via derelictus est, pertransiit quidem Sacerdos, sed horrore plagarum vulneræi illius ac moribundi percussus retrorsum abiit, & in contrariam